

La. 200<sup>a</sup>



1. Born, Jac. Henr.,
2. Borius, Jo. Jac.,
3. Bünau, Rud. a.,
4. Clauderus, Franz,
5. Ernerti, Jo. Aug.,
6. Goetzius, Godof. Arn.,
7. 8. Harler, Theoph., Christoph.,
9. 10. Hasaeus, Theod.,
11. Hapsathius, Jo. Carim.,
12. Koerner, Jo. Arn.,
13. Krieger, S. Nicol.,
14. Nicolai, Jo.,
15. Rube, Arn. Fridr.,
16. Schütz, Arn.,
17. Schumann, Arn. Erdm.,
18. Thoellden, Justin.,
19. Walchius, Carol. Fridr.,

112

*[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page]*



46  
an 36  
M. ISRAELIS CLAUDERI,  
HISTOR. AC ELOQV. P. P.

DE

RITU VETERUM

NATALITIO

DISSERTATIO TERTIA,

IN ILLUSTRATI ATHENAEI

COBURGENSI,

CUM ILLUD

NATALEM

SEPTIMUM SUPRA QVINQVAGESIMUM

SOLEMNITER CELEBRARET,

RECITATA

AD D. III. M. QVINCTILIS

A. O. R. clc lcc LXI.

VIRO  
SUMMAE DIGNITATIS ET VIRTUTIS,  
*MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO,*  
*ATQVE EXCELLENTISSIMO,*  
DN. JOHANNI MICHAELI  
DILHERRO,  
TOTIUS REI SACRAE APUD NORIBERGENSES  
ANTISTITI EMINENTISSIMO,  
AD D. SEBALDI PASTORI, THEOLOGIAE  
AC PHILOSOPHIAE PROFESSORI PUBLICO,  
GYMNASII DIRECTORI, SCHOLARUM  
INSPECTORI, ALUMNORUM EPHORO,  
BIBLIOTHECAE CUSTODI,  
THEOLOGO CORDATISSIMO,  
AB HIS ETIAM LITERIS MAGNO,  
*DOMINO MERITO VENERABILI,*  
QVIDQVID HUIUS EST,  
ADDICTISSIMI CULTUS MONIMENTUM,  
M. ISRAEL CLAUDERUS, P. P.  
DICAT CONSECRATQVE.

3.

Bonum Factum!

DEI OPTIMI MAXIMI,

quo res incolumis perstat Musæa favente,

&

SERENISSIMI ATQVE CELSISSIMI

PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI

FRIDERICI GVILIELMI,

DUCIS SAXONIAE, JULIACI, CLIVIAE, ET

MONTANIAE, COMITIS PROVINCIALIS THURINGIAE,

COMITIS LIMITANEI MISNIAE, PRINCIPALI DIGNITATE COMITIS

HENNEBERGIAE, COMITIS MARCAE ET RAVENSBURGI,

RAVENSTEINII DYNASTAE,

INTER GERMANIAE PRINCIPES INCLUTI NOMINIS

FAMA EMINENTIS HEROIS,

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,

GRATIA

MUSAE ISSIACAE

SACRUM ANNIVERSARIUM,

recolendæ conservandæqve inaugurationis memoriae

destinatum,

ad diem crastinum, qui ex nomenclatione gentili

Mercurii, nostris in fastis tertius est Mensis Quinctilis,

Cornelio sacer,

ad morem majorum peragent,

M. ISRAELE CLAUDERO, HIST. AC ELOQV. P.P.

Collegii hodiè interprete.

Az

Cui

CUI PANEGYRI GYMNASICAЕ,  
horâ locoq̄ve consvetis instituendâ,

**OMNIUM ORDINUM PRAESTITES  
ATQVE ADSTITES,**

& quicumq̄ve aliū justum literis pretium ponere  
didicerunt,

**MAECENATES, PATRONI, COLLEGAE,  
FAVTORES, AMICI,**

SUIS SINGULI TITULIS AESTIMATISSIMI,  
MAGNIFICA, SPLENDIDA, ET HONORIFICA  
PRAESENTIA NE NON ESSE VELINT

A' SOLEMNITATE,

pro cujusq̄ve statu ac merito

demisè, studiosè, amicè

rogat, petit, contendit;

Illi verò,

quorq̄ve jurisdictioni nostrâ suppositi heic loci sese tenent,  
rectè atq̄ve ordine facient,

si receptâ legum recitationi non tam audientiam  
quàm observantiam exhibuerint:

quod ut cumulatè & prolixè præsent,

autor ip̄sis est & hortator sedulus

idem, de RITU VETERUM NATALITIO peroraturus.

---

P. P. Coburgi, sub sigillo Gymnastico, ad d. VI. Non. Quinctil.  
Annò à partu Virginis - Matris sexagesimò primò supra mille sexcentos,  
Aetâ Gymnasii quinquagesimâ sextâ.





## B. C. D.



Vod aliis ad dicendum haud mediocri adjumento solet esse, illud, Patres Conscripti, Vestris singuli titulis honorificè adpellandi, in primis me quoque in praesentiarum videtur erigere. Etenim, verba ex hoc locò facere ingredior, non nimiò ac intempestivò dicendi studiò inductus; sed officii ratione defunctus, ac propè necessitate quadam compulsus, cui quocumque modò parere velle satius utique fuerit, quàm resistere omninò. Tertius mensis Julii dies, in fastis Christianis Cornelio sacer, faustò iterùm sidere adfulsit, quò Illustris Casimiro-Guilielmiani nostri Natalis quinquagesimus septimus ex lege, quam Illustrissimus Fundator dixit, anniversariae Orationis honore per gaudium & bona omnia solemniter venit celebrandus. Quod si Gymnasium, quod Ptolomæium vocabatur, ac Athenæ Titum Pomponium Atticum juxtà cum aliis, scribente M. Tullio, (Lib. V. de finib.) non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus delectabant, quàm recordatione doctorum virorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare solitus esset: si apud eosdem Græcos locus, ubi vitam egerat Pythagoras, aut apud Romanos villa, in quâ Titus Flavius Vespasianus, atque ea pars domus, in quâ Octavius fuerat natus, adeò plena erat reverentiae, ut ritè consecraretur, ac illuc introire, nisi necessariò & castè, religio esset, ut Svetonius (Aug. cap. V. VI.)

A 3

testa

testatur: quid prohibebit, quò minus & nos dignitas huius loci commoveat atq; adficiat, ex quo, tanquam fonte artium ac seminario disciplinarum, summa & propè divina in Ecclesiam ac Rempublicam beneficia hæcenus promanarunt? Quod enim de *Isocratis ludo* idem (Lib. II. de Orat.) adserit Cicero, ex eo, tanquam ex equo Trojano, innumeros exiisse principes, quorum alii in pompâ, in acie alii illustres esse voluerunt: illud de isthac etiam Musarum sede si dixerimus, nihil à vero alienum dixerimus. Fas itaque, ut memoriâ atq; laudibus & summi bonorum omnium largitoris immensa deprædicetur bonitas, & de Helicone nostro bene meritis digna rependatur gratia. Quod anteqvàm fiat, quod restat *Dissertationis de ritu veterum Natalitio*, quam vobis ex pollicitatione meâ debeo, pronunciare animatus sum. Cùm enim ante biennium verba ex hoc loco facerem, quæ de eo negotio adferenda videbantur ulterius, alio me die expositurum plerisque Vestrum audientibus recepi. Quando igitur de re jucundâ, neq; ramen amœnitatis majoris quàm fructûs, dicturum me esse cognovistis, Auditores, nullus dubito, quin eandem illam benevolentiam, quam in me patienter audiendo jam aliquoties ostendistis, nunc quoq; liberaliter benignèq; mihi sitis exhibituri.

Multi posscebant sibi non solum munera;

Quàm frequens munerum die natali exhibendorum fuerit commercium, antea inuimus. Hinc multi, in primis avari, & qui sordidò essent ingenio, eò adducebantur, ut munera ejusmodi natalitia non expeterent solum, exemplò lenonis Plautini, qui sic, (Pseud. act. I. sc. II. v. 44.): *Facite hodiè, ut mihi munera multa huc ab amatoribus conveniant. Nam, nisi penus annuus hodiè convenit, cras populo prostituam vos. Natalem scitis mihi diem esse hunc. Ubi isti sunt,*

sunt, quibus vos oculi estis, quibus vita, quibus delicia estis, quibus suavia, mamilla, mellita? Manipulatim mihi muneri-geruli facite ante ades jam heic adsint. Cujus puer alibi (act. III. sc. I. v. 9.) conqueritur: Nunc huic lenoni est hodie natalis dies. Interminatus est à minimo ad maximum, si quis non hodiè munus misisset sibi, eum cras cruciatu maximò perbitere. Eandem aviditatem exprobrat Sexto Martialis, quando se non ad natalitias ejus dapes vocatum fuisse gravatur, (Lib. VII. Epigr. LXXXVI. v. 3.): Quid factum est, rogo, quid repente factum est, Post tot pignora nostra, post tot annos Quid sum prateritus vetus sodalis? Sed causam scio: nulla venit à me Argenti tibi libra pustulati, Nec tenuis toga, nec rudes lacerna. Non est sportula, quæ negotiatur. Postis muneræ, Sexte, non amicos. Verùm etiam natalem non semel; sed plus vice simplici in anno, & tantùm non singulis fermè mensibus, quò plura ab amicis reportarent munuscula, celebrarent. Quamobrem ab eodem Martiali falsè ita vapulat Clytus, (Lib. VIII. Epigr. LXIII. v. 1.): Ut postcas, Clyte, munus exigasque, Uno nasceris octies in anno, Et solas, puto, tresve quattuorve Non natalitias habes Calendas. Sit vultus tibi levior licebit Tritis littoris aridi lapillis, Sit morò coma nigrior caducò, Vincas mollitie tremente plumas Aut massam modò lactis alligati, Et talis tumor excitet papillas, Quales cruda viro puella servat; Tu nobis, Clyte, jam senex vide- ris. Tàm multos quis enim fuisse credat Natales Priamive Nestorisve? Sit tandem pudor & modus rapinis. Quodsi ludis adhuc, semelque nasci Uno jam tibi non sat est in anno, Natum te, Clyte, nec semel putabo.

sed & nata-  
lem sæpius  
in anno a-  
gebant.

Munera na-  
talitia ac-  
ceptissima.

Et hæc munera ad unum omnia valdè grata erant atque chara, adeò, ut non nisi cum honore ea usurparent, eorumq; jacturam ferrent gravissimè. Inde honoratum

se

se ejusmodi munere satis gaudet Symmachus, ( Lib. VI. Epist. LXVII. ) & alibi scribit, ( Epist. XLVIII. ): *natalitiô munere nostrum hilarâstis animum, vestrum probâstis.* ( Epist. LXXIX. ): *adjicere opto mihi non ingrata, tibi jucunda munuscula.* ( Epist. LXXX. ): *fungimur religioso honore jucundi munusculi, petentes, ut susceptionis benignitate oblationis exilitas augeatur.* Ita fastuosus ille dispensator Petronianus ( locô suprâ productô ) non tam jacturam vestimenti ad cubitorii, quô ipsum natali suô donaverat cliens, dolet, quâm negligentiam improbisimi servi. Sed & optimi quique, non tam pretii quâm animi, quô offerebantur, æstimatione ponderantes munera, largè redonabant suos muneratores. Sic Davus Terentianus ( Phorm. act. I. sc. I. v. 12. ) Getæ promittit, quòd *ferietur alio munere, ubi fuerit puero natalis dies.* Et de Julio Baso, qui, Bithyniam sortitus, repetundarum reus redierat, narrat Plinius ( Lib. IV. Epist. IX. ) quòd *multis, atque etiam Principi dixerit, sola se munuscula duntaxat natali suô aut Saturnalibus accepisse, & plerisque misisse.* Ex quo loco & hoc colligere est, Præsidibus sive Procuratoribus provinciarum istud juris utique non fuisse, ut à provincialibus suis, quibus aut cum Principis aut cum Populi præerant potestate, ulla munera acceptarent, ne natali quidem suô aut Saturnalibus; ab amicis tamen & familiaribus licuisse, quod Janus Doufa ( Lib. I. Præcidan. pro Petroni satyr. cap. XIV. p. 231. ) annotavit. Muneribus quoque devota adjiciebant vota, ceu vel è solis Symmachi Epistolis liquet. E sexcentis sequentia produxisse sufficiat. ( Lib. VI. Epist. XLVIII. ): *natalem frequentari à vobis per multos annos, communis felicitas faciet.* ( Epist. LXXIX. ): *ævum maneat hic dies, qui te nobis dedit! Hunc ego & gaudiis mentis & verborum honoribus per multos*

Muneratores redonabantur.

Muneribus natalitiis interdictum nonnullis.

Vota muneribus annexa.



multos annorum recursus vobiscum opto celebrare. (Epist. LXXX.): natalem per annorum recursus optamus esse numerosum. (Epist. LXXXI.): Et vobis & communi pignori, cuius solemnem diem sedulâ religione celebrâstis, uberes precamur annos, & recursum in hæc eadem festa numerosum!

Nec verò is modò dies, quo lucem aliquis primùm <sup>Natalis prosperitatis,</sup> viderat, natalis habebatur; sed tales etiam audiebant plures alii, propter lætitiã quãdam aut liberationem à gravi aliquo casu insignes. Etenim, non minùs nobis jucundi atque illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quàm illi, quibus nascimur, quòd salutis certa lætitiã est, nascendi incerta conditio, & quòd sine sensu nascimur, cum voluptate conservamur, ait (Orat. III. Catil.) Tullius. Plautinus senex, postquam inaudierat, captivum adventare filium, (Captiv. act. IV. sc. II. v. III.) exclamat: *Di immortales! iterùm natus videor, si vera autumas.* Hirtius Pansa de nonnullis Uticensibus, vitã à Cæsare donatis, (de bello Afric. cap. XC.) refert, eos, se eodem die demùm natos prædicantes, lætos gratias egisse Cæsari. Et qui ab exilio revertebantur, tanquam <sup>reditus,</sup> renasci videbantur: certè diem, quo redibant, natalem reditus sui vocabant, ut ostendit Turnebus, (Lib. XXIII. Advers. cap. IV. p. 749.) Ita enim (Lib. III. ad Attic. Epist. XX.) idem scribit Cicero: *tibi venire in mentem certò scio, quæ vita esset nostra, quæ suavitas, quæ dignitas: ad quæ recuperanda per Fortunas incumbe, ut facis, diemq; natalem reditus mei cura ut, in tuis adibus amœnissimis agam tecum & cum meis.* Et (Orat. pro Sextio): *reditus meus qui fuerit, quis ignorat? quemadmodum mihi advenienti tanquam totius Italiae atque ipsius patriæ dextram porrexerint Brundusini: cum ipsis Nonis Sextilis idem dies adventus mei fuisset, qui reditus natalis: idem charissimæ filia, quam ex gravissimo tum primùm de-*

B siderio

*fiderio luētūq; conspexi : idem etiam ipsius colonia Brundusina:*  
**honorum:** *idem Salutis, ut scitis.* Nasci quoque se credebant eo die,  
**sacerdotii,** Ecclesiā natales Sacerdotii pro die suscepti ejus muneris  
 dictos esse, sola diffitebitur ruditas. Quā de consuetudi-  
 ne ita Cæsar Baronius, (Martyrolog. ò. d. XV. Cal. Febr.):  
*quod ad presentem solemnitatem spectat, laudabilis in Ecclesiā*  
*viguit antiquus usus, ut dies anniversaria ageretur, quā quis*  
*alicui sedi præfectus esset Episcopus. Id etenim tam in Occi-*  
*dentali Ecclesiā quā in Orientali etiam observatum, innume-*  
*ra ferè docent exempla. De consuetudine Romanæ Ecclesiæ*  
*scribit S. Paulinus, de quā exstant sermones Sancti Leonis Pa-*  
*pæ, eā die habiti. Convenire enim undique ex Italiā Episcopi*  
*tunc Romam consueverunt ad celebrandum natalem diem Ro-*  
*mani Pontificis, ut pulchrè demonstrat Epistola Hilarii Papæ*  
*ad Ascanium & ceteros Episcopos Provinciæ Tarraconensis, in*  
*quā hæc leguntur: lectis ergo in conventu fratrum, quos nata-*  
*lis mei festivitas congregaverat, literis vestris, &c. Quinam*  
*autem hi fuerint, ex quibusve Italia civitatibus Romam con-*  
*fluxerint, indicant ipsa Synodica tabula, superius recitata. Ista*  
*Cardinalis. De usu aliarum etiam Ecclesiarum exempla*  
*profert Johannes à Chokier, (Facis Histor. part. II. cap.*  
*X. p. 18.) ut illud, quod S. Ambrosius scribit de Felice, Co-*  
*mensi Episcopo, item, quod S. Augustinus habet de die*  
*natali Aurelii, Episcopi Carthaginensis, deq; suā ipsius e-*  
*tiam anniversariā die ordinationis; de consuetudine verò*  
*Orientalis Ecclesiæ satis monere dicit Græcorum Meno-*  
**consulatûs,** *orum agatur sedis natalis dies. Cicero cum natali vitæ na-*  
*talem Consulatus confert, (Orat. post redit. ad Qvirit.): a pa-*  
*rentibus, inquit, id quod necesse erat, parvus sum procreatus;*  
*à vobis*

à vobis natus sum Consularis. Et clariùs C. Cotta Cos. (O-  
 rat. ad Populum, apud Sallustium Fragment. cap. XXXII):  
 si parricida vestri sum & bis genitus heic, Deos Penates meos  
 patriamq; & summum imperium vilia habeo. Nam paullò  
 infrà dixit: Vos Quirites rursùs mihi patriam, Deos Pena-  
 tes cum ingenti dignitate dedistis. De Augusto Cæsare Sve-  
 tonius, (cap. XXXI.): Annum à D. Julio ordinatum; sed  
 postea negligentia conturbatum atque confusum, rursùs ad pri-  
 stinam rationem redegit: in cuius ordinatione Sextilem mensem  
 è suo cognomine nuncupavit, magis quàm Septembrem, quo  
 erat natus: quia hòc sibi & primus Consulatus & insignes victo-  
 riæ obtigissent. De Hadriano Spartianus, (cap. IV.): *Quin-* adoptionis,  
*to Iduum Augusti die Legatus Syria literas adoptionis,* à Traja-  
 no factæ, accepit, quando & natalem adoptionis celebrari iussit.

Tenendum porrò, natalem sibi geminum plerumqve Principum  
 constituisse Principes: alterum, quo vitalem primùm au- natalis ge-  
 ram captarant; alterum, quo imperio admoti fuerant: minus:  
 quod utrumqve tempus Imppp. Valentinianus, Theodo-  
 sius, & Arcadius suos adpellarunt dies, (l. 7. omnes dies. C.  
 de feriis.): nostris, ajunt, diebus, qui vel lucis auspicia vel ortus  
 Imperij protulerunt. De natali quidem vitæ cognoscimus vitæ alter,  
 ex historiarum conditoribus, quòd Calendas Martias, quo  
 die natum credebant Romulum, solenniter recoluerint  
 Romani, & Nonas item Januarias, quòd eà die Servius  
 Tullius in lucem existimaretur editus. Sic Julio Cæsari  
 sua instituta natalitia, sua Augusto, sua Imperatoribus aliis.  
 Augustus Imp. ipsemet ocellum suum jucundissimum, quo-  
 modo Cajum salutatur, missis literis, quarum exemplum apud  
 Agellium (Lib. XV. cap. VII.) legere est, laudat, quòd  
 letus ac benevolens quartum & sexagesimum natalem ejus cele-  
 braverit. De Caligulâ Svetonius, (cap. XXVI.): Cosf. ob-  
 litis,

litis de natali suo edicere, abrogavit magistratum, fuitque per triduum sine summâ potestate Respubl. Et de Domitiano, (cap. X.): Salvium Coccejanum, quod Othonis Imp. patris sui diem natalem celebraverat, interemit. Mamerrinus, (Panegy. Genethliacô, Maximiano Aug. dictô, cap. II.): Profectô, hic mihi dies videtur illustrior, magisque celebrandus, qui Te primus protulit in lucem. Etenim, illi ipsi dies, quibus Imperii auspicia sumpsistis, ob hoc sancti sunt & religiosi, quod tales declaraverunt Imperatores. Et certè virtutes, quibus ipsum ornatis Imperium, & ingenium vestri procreavere natales, quos quidem, Sacratissime Imp. quoties annis volventibus revertuntur, Vestri pariter ac Vestrorum Numinum reverentiâ colimus. De Persis Plato, (Alcibiade I. p. 441. B.): Postquam natus est primogenitus, qui succedit in regno, primò quidem eum diem omnes, qui sub regno sunt, celebrant; atque ita in posterum quotannis natalem regis diem sacris ac festis omnis Asia colit. Quibus addimus Timolonta, Syracusanorum ducem, qui nihil rerum humanarum sine Deorum numine agi putabat. Ideoque ad hanc hominis excellentem bonitatem mirabiles accesserunt casus. Nam praelia maxima natali die suo fecit omnia: quo factum est, ut ejus diem natalem festum haberet universa Sicilia, ut narrat Nepos, (cap. V.) De natali verò adqvisiti imperii testimonium perhibet sæpè laudatus Svetonius, de Claudio (cap. XI.) scribens: Caji etsi acta omnia rescidit, diem tamen necis, quamvis exordium principatus sui, vetuit inter fastos referri. Nec non de Domitiano, (cap. XIII.): Post duos triumphos Germanici cognomine adsumtô, Septembrem mensem & Octobrem ex adpellationibus suis Germanicum Domitianumque transnominavit, quod altero suscepisset Imperium, altero natus esset. De Hadriano Spartianus, (circa cap. IV.): tertiâ Iduum Augusti, quando & natalem

Impe-

alter impe-  
rii.



*Imperii instituit celebrandum, excessus ei Trajani nunciatus est. Capitolinus, (Pertinace cap. XV.): circenses, & Imperii natalis additi, qui à Severo postea sublatis sunt, & genitalitii manent. Obtinuisse idem sub posterioribus Imperatoribus, confirmat Meursius, (Mantissâ ad Libr. de Româ Luxur. cap. XVI. p. 119.) quem non expilamus.*

Quantâ nunc festivitate, quâ lætitiâ, quantis item impensis natales Principum exacti fuerint, historiarum monumenta abundè loquuntur. Erant tunc convivia in palatio, ludi in theatro, in circo certamina ac venationes. Quod ad convivia attinet, Moses, mundi nascentis historicus, (Gen. XL, 20. seqv.) scribit, Pharaonem, Aegypti regem, natali suo epulum aulicis dedisse, atque ita dedisse, ut non solum rex ipse, dominus cum servis, ad cubuerit; sed etiam, quod (Lib. de temulent.) Philo addit, ad ebrietatem biberit: unde factum, ut luxuriantis animi ministrum, pincernarum principem, è carcere ad ministeriû revocaverit; coqvis verò præfectum suspendii damnaverit. Quàm stupendâ magnificentiâ Ahasverus, Persarum monarcha, natalem coluerit, vix fidem inveniret, nisi testes in mundo haberemus omni exceptione majores. Durârunt natalitiæ istæ epulæ centum octoginta diebus integris, sive per ipsas viginti quinque septimanas, centum viginti septem, quos Josephus (Lib. XI. Antiqv. Judaic. cap. VI.) numerat, satrapis, & diebus septem aliis gentibus ac harum legatis institutæ Susis. Adparatum egregii ac verè regii convivii, præter historicum sacrum, (Lib. Estheræ cap. I, 6. seqv.) ita depingit Judæorum Livius, (c. l.): *tabernaculum fixerat ex aureis argenteisque columnis, vela purpurea super eas extendens, ut multa millia discumbentium operirent. Ministrabatur verò poculis aureis, & lapidibus pretiosis, ad delectationem simul & spectaculum preparatis. Præ-*

Natali Principum exhibebantur

convivia,

B 3

cepit

cepit itaq; ministris, ne cogerent bibere eos, potionem eis offerentes, quod apud Persas fieri solet, imò, ut concederent unicuiq; discumbentium, ut, quemadmodum vellet, epularetur. Misit autem per omnem provinciam, denuncians, ut opera relinquerent, multisq; diebus pro ejus imperio latarentur. Hactenus ille. In horto arbores nemorosæ, fructiferæ, aromaticæ florebant plurimæ. Sunt, qui addant vitem, cujus stipites argentei, palmites aurei, botri ex gemmis auro insertis splendore mirificò oculos præstrinxerint. Hæc autem, quæ diximus, de natalitiâ festivitate accipienda esse, si aliud non suppeteret argumentum, vel unus Herodotus svaserit ac persvaserit, (Lib. IX. cap. ClX.) tradens, Xerxem quotannis regalem cœnam instruere solitum eo die, quo Rex creatus, cui cœnæ nomen Persicè Τῦρτα, Græcè τέλειον, de quo consulendus Casaubonus, (Animadvers. ad Athen. p. 271.) De Judæis scriptum exstat alibi, (II. Maccab. VI, 7.): ducebantur per vim acerbam ad diem regis (Syriæ, Antiochi Epiphanis,) natalem singulis mensibus celebrandum, ad viscerationem. Herodes II. cognomentò Antipas, Galilææ Tetrarcha, natalem celebrans, cœnam faciebat primatibus ac tribunis & primoribus Galilææ, quam Johannis Baptistæ cæde iniquissimâ, in castro Macheruntino patratâ, ineluibili infamiæ labeculâ notatam historia clamat Evangelica, (Matth. XIV, 6. seqv. Marc. VI, 21. seqv.)

spectacula,  
certamina,  
venationes.

De spectaculis, circensibus ludis, ac venationibus Principum natalitiis itidem in aprico est. Triumviri sub Casare Octavio coëgerunt omnes, ut natalem Julii Caesaris laureati & hilares celebrarent: eo quoque sancitò, ut, qui natalem ipsius neglexissent, execrationibus Jovis Caesarisq; ipsius haberentur obnoxii: si Senator, aut filius Senatoris in eo deliquisset, is mulctam decies sestertiùm penderet. Ac, quoniam die Casaris

ris natali Apollinares ludi fiebant, pridie ejus diei *γενεα* seu  
 natalitia Caesaris peragi iusserunt, quod Sibyllinò oraculò in-  
 terdictum esset, ne ea dies alii cuidam Deo prater Apollinem  
 festa esset, ut refert Dio Cassius, (Lib. XLVII. Hist. Rom.)  
 De Augusto Svetonius, (cap. LVII.): Equites Romani na-  
 talem ejus, sponte atque consensu, biduò semper celebrârunt.  
 Magis disertè laudatus Dio, (Lib. LIV.): Natalem Augusti  
 diem Julius, Antoni filius, Prator, equestri certamine seu ludis  
 circensibus & venatione celebravit, & ex Scto epulum Augusto  
 & Senatoribus in Capitolio dedit. Et, (seqv. Lib. LVII.): alia  
 item pugna Tiberi tempore in honorem natalis Augusti edita,  
 ac nonnulla ferae occise sunt, idemq; per multos etiam annos ita  
 factum. Non solùm autem Equestris ordo; sed etiam col-  
 legia pleraq; cum diem festivum habere solita, eratq; ar-  
 ca ipsis communis ad festivitatis ejus impensas, ceu veteri  
 inscriptione Romanâ declarat Casaubonus, (Animadvers.  
 ad Sveton. p. 243.) De Tiberio Tranquillus, (cap. XXVI.):  
 natalem suum, plebeis incurrentem circensibus, vix unius bigae  
 adjectione honorari passus est. Imò, ne id quidem permis-  
 sum fuisse, perhibet Xiphilinus, (Epit. Dion. in Tiber.):  
 sic popularis, inqviens, erat in rebus omnibus, ut nihil suò na-  
 tali fieri permetteret, quod antè fieri non consuevisset. De Ca-  
 ligulâ Dio, (Lib. LIX.): C. Caligula habitu triumphali tem-  
 plum Augusti dedicavit, epulumq; Senatoribus & eorum uxori-  
 bus ac populo datum, variaq; spectacula edita. Nam, & omnis  
 generis musica introducta, & equi certaverunt duabus diebus,  
 priore vicies; posteriore, quia natalis erat Caji, vicies quater:  
 ea fuit dies pridie Cal. Septembr. De Claudio Svetonius,  
 (cap. XI.): Conversus ad officia pietatis, iusjurandum neque  
 sanctius sibi neque crebrius instituit, quàm Per Augustum. Avia  
 Livia divinos honores, & Circensi pompâ currum elephantorum,  
 Augu-

*Augustino similem, deternendum curavit: Parentibus inferias publicas, & hoc amplius, patri Circenses annuos natali die: matri carpentum, quod per circum duceretur, & cognomen Augusta, ab Avia recusatum. Dio, (Lib. LX.): Claudius Druso patri & Antonia matri ludos equestres eorum natalibus instituit, translatis iis ludis, qui in eos incidissent, in aliud tempus, ne simul fierent. Tacitus, (Lib. II. Histor. cap. XCV.): natalem Vitellii diem Caccinna ac Valens, editis tota Urbe vicatim gladiatoribus, celebrare ingenti paratu, & ante illum diem insolito. Ad eundem ferme modum Titus Vespasianus Caesar, Caesarea post excidium Hierosolymitanum moratus, fratris sui Domitiani natalem diem clarissime celebrabat, multam partem damnatorum ejus honori attribuens. Numerus enim eorum, qui cum bestiis depugnarent, quiq; ignibus cremati sunt, & inter se digladiatores perire, duo millia & quingentos excessit. Omnia tamen Romanis videbantur haec, licet mille modis illi consumerentur, minus esse supplicii. Postea Caesar Berytum venit, & in hac quoque diutius commoratus est, majore usus claritudine circa natalem patris Fl. Vespasiani diem, tam magnificentiam spectaculorum, quam sumptibus aliis excogitatis, cum etiam captivorum multitudo eodem, quo antea, modo periret. Haec quod sciamus, Josepho, antiquitatum illi Judaicarum vernaculo indici, ita Tertulliano (Apologet. cap. XX.) vocatur, (Lib. VII. de bello Judaico cap. XX.) debemus. De Hadriano Xiphilinus (in Epit.): spectacula suo natali die publice gratis dedit, ubi ita magnus numerus bestiarum caesus est, ut simul leones centum totidemq; leaena confecta fuerint. Spartianus, (cap. VII.): gladiatorium munus per sex dies continuos exhibuit, & mille feras natali suo edidit. (c. VIII.): Ludos circenses, praeter natalitios, decretos sibi sprevit. De Severo Capitolinus, (Maximin. duob. cap. II.): Natali Getae, filii*

filii minoris, militares dabat ludos, propositis premiis argenteis, id est, armillis, torquibus, & balthaeolis. Pluria his ad manum essent exempla, nisi aliàs nimius, hæc conquirens, fuisse viderer. Hoc solùm addimus, Ludos, natalibus Principum editos, fuisse sequentes: ad d. IV. Idūs Julias C. Julii Cæsaris, ad d. IX. Calend. Januarii Titi Cæsaris, ad d. IV. Calend. Decembris Nervæ, ad d. IV. Calend. Novembr. Hadriani, Calend. Aprilis Antonini, ad d. III. Idūs April. Aelii Veri, ad d. XVIII. Calend. Decembr. Septimiani, ad d. XIII. Calend. Januarii Gordiani, ad d. IV. Calend. Februarii Constantini M. & Jun. prout annotavit Rosinus, (Antiquit. Roman. Lib. V. cap. XXII. p. 481.)

Ludi natalitii.

Insignes quoque natales Principum erant donariorum distributione ac oblatione. De Persis Herodotus, (Lib. IX. cap. CIX.): *Xerxes regalem instruxit cœnam quotannis eo die, quo Rex creatus est: in quâ Rex solum caput ornatur, Persasq; strenis donat.* Clarius multò Athenæus, (Lib. IV. Dipnosophist.) *Xerxes in genitali cœnâ cum mille ac quinque viris accumbebat, & denariorum Italicorum ducentas quadragenas myriadas pro muneribus natalitiis distribuebat, cujus pecuniæ summa, in nostræ monetæ valorem à Casaubono collecta, sexaginta aureorum efficit millia.* De Romanis Symmachus, (Lib. IV. Epist. VIII.): *De equis, ob natalem Domini nostri Honoris & Invictissimi Principis, largiendis, licet hoc annò obsequii istius tempus effluxerit, opinor votum meum non potuisse reprehendi.* Paulus item Diaconus, (Lib. XI. Hist. Miscell. cap. XXXVII.): *cum venisset tempus, quo Imperialia milites solent dona percipere, (hoc enim agitur die plerumque Calendarum Januariarum, & natali Principum & urbium regiarum,) exquisivit Julianus, quatenus eos simpliciter & ex prisca consuetudine fallere potuisset,*

Dona dabant & accipiebant Principes.

tuisset, iussitq̄, ut unusquisque ad manūs Imperatoris acceden-  
 tium, ab officiis admonitus, primò incensum offerret: erat e-  
 nim ante eum thus positum & ara, secundum antiquam Roma-  
 nam consuetudinem. Tunc alii quidem licenter suam ostende-  
 runt fortitudinem, & neque incensum offerre, neque donum  
 accipere passi sunt. Alii verò, occasione legis & antiquitatis,  
 neque mente perceperunt, quod commisere peccatum. Cujus rei  
 postea admoniti, quasi CHRISTUM denegassent, dum, do-  
 num ab Imperante percipientes, thus in ignem misissent, DEUM  
 suum & cunctos homines testati sunt, se Christianos esse, atque  
 per ignorantiam se fecisse, & si dici posset, solam manum pa-  
 ganam esse; conscientiam verò nihil simul egisse. Nec non  
 Maximus, Taurinensis Ecclesiæ Episcopus, (Serm. in vi-  
 gil. nat. Domin. qui aliàs XIV. apud Ambrosium Tom.  
 III. est): Letitia quanta sit, quantusq̄ concursus, cum Impe-  
 ratoris mundi istius natalis celebrandus est, bene nôstis: quem-  
 admodum duces ejus & principes, omnes etiam militantes, ac-  
 curatè sericis vestibus accincti, operosis cingulis, aurò fulgente  
 pretiosis, ambient solitò nitidiùs in conspectu regis incedere.  
 Credunt enim, majus Imperatoris esse gaudium, si viderit ma-  
 jorem adparationis suæ ornatum, tantòq̄ illum latum futurum,  
 quantò ipsi fuerint in ejus festivitate devoti: ut, quia Impe-  
 rator, tanquam homo, corda non conspiciat, adfectum eorum  
 circa se probet, vel habitum contuendo: ita fit, ut splendidius  
 se accuret, quisquis Regem fidelius diligit. Deinde, quia in die  
 natalis sui sciunt eum largum futurum, ac donaturum plurima  
 vel ministris suis, vel iis, qui in domo ejus abjecti putantur &  
 viles, tantà priùs thesauros ejus replere divitiarum varietate  
 festinant, ut, in quantum prorogare voluerit, in tantum pro-  
 rogatio copiosa non desit, & antè voluntas donandi deficiat,  
 quàm substantia largiendi. Hac autem ideò sollicitè faciunt,  
 quia

quia majorem sibi remunerationem pro hac solitudine sperant futuram. De Augusto Cæs. Plutarchus (in Apophthegm. Reg. & Princ.): *Ὅτι δὲ Μακρήνα, τῆ συμβιωτῆ, καὶ ἑκάστου ἐπιούρου ἐν τοῖς γενεθλίοις δῶρον ἐλάμβανε φιάλην ἀ Μακenate, suo familiari, quotannis natali phialam accipiebat donarium.* Ut ita adversum prorsus morem adgressus deprehendatur Commodus Imperator, sanè quàm incommodus, quo de ista apud Xiphilinum querela, (Commod. p. 381.): *natali suo die nobis uxoribusq; nostris liberisq; singulis binos aureos, tanquam alias primitias, imperavit, idq; tributum pendere coëgit: itemq; ex Senatoribus, qui in reliquis civitatibus erant, quinque denarios exegit.*

Accedebant & tunc vota atque gratulantium voces. Fiebant vota atq; gratulationes. Non enim tertio duntaxat die post Calendas Januarias, teste Cajò (l. si calvitur. 233. §. 1. de V. S.) quando nimirum *votis communibus felix annus aperiebatur, ut Arcadius ac Honorius loquuntur (l. un. C. de oblat. votor. Lib. 12.)* sed & ipsomet natali tam vitæ quàm imperii Principis die, qui vel lucis auspicia vel ortum imperii protulerat, ut Imperatorum habent verba (l. omnes. 7. circa fin. C. de feriis,) à magistratibus atque subditis singulari devotione pro Principis incolumitate, quâ publicam contineri salutem existimabant, vota nuncupabantur solemnia, quemadmodum è Tacito, (Lib. XVI. Annal. cap. XXII.) & doctissimis ad eundem Lipsi notis (p. 440.) discimus. Votorum istorum variæ occurrunt formulæ. Suum pro Trajano ita concipit Plinius, (Lib. X. Epist. LXXXIX.): *Opto, Domine, ut & hunc natalem & plurimos alios quàm felicissimos agas, aternâq; laude florentem virtutis tuæ gloriam & incolumis & fortis aliis super alia operibus augeas!* Adparet tamen è Tertulliano, (Apologet. cap. XXX.) *voventes potissimum*

mum Imperantibus precatos fuisse *vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quacunqve hominis ac Principis vota sunt!*

Natalis patronorum amicorumve à clientibus celebratus, non viventium modò;

Nec verò Principibus modò illud honoris habebatur; sed amici quoque & clientes absentium amicorum ac patronorum natalem celebrabant. Sic Horatius, (Lib. IV. Od. XI. v. 13.) Phyllidem amicam ad Mæcenatis natalem celebrandum, sive, ad *convivium natalitium*, ut Symmachus (Lib. VI. Epist. LXXXI.) vocat, verbis invitat sequentibus: *Ut tamen nôris, quibus advoceris Gaudiis, Idus tibi sunt agenda, Qui dies mensem Veneris marinæ Findit Aprilem: Jure solemnem mihi sanctiorq; Penè natali propriò, quòd ex hac Luce Mæcenatæ adfluentes Ordinat annos.* Ait autem Vates Venusinus, Mæcenatis natalem non tantum *jure solemnem sibi esse; sed & sanctiorem penè natali propriò.* Id quare ita dicat, declarat Censorinus, quando (Lib. de die nat. cap. III.) causam reddit, ob quam Qv. Cerealis natalem sanctius propriò celebrare inducatur. Verba ejus ad Cerealem damus: *Cùm singuli homines suas tantummodò proprios colant natales; ego tamen de duplici quotannis officio hujusce religionis adstringor. Nam, cùm ex te tuâq; amicitia honorem, dignitatem, decus, atque præsidium, cuncta denique vitæ præmia recipiam, nefas arbitror, si diem tuum, qui te mihi in hanc lucem edidit, meò illo propriò negligentius celebravero. Ille enim mihi vitam, hic fructum vitæ atque ornamentum peperit.* Easdem inflat tibias Martialis, ad Qv. Ovidium (Lib. IX. Epigr. LII. v. 1.): *Si credis mihi, Quincte, quod mereris, Natales, Ovidi, tuas Apriles, Ut nostras amo Martias Calendas. Felix utraqve lux, diesq; nobis Signandi melioribus lapillis! Hic vitam tribuit; sed hic amicum. Plus dant, Quincte, mihi tua Calenda.*

Qvin



Quin defunctis quoque, qui alicujus essent nomi- sed defun-  
 nis, istud officii genus exhibitum novimus, memoriae ve- ctorum  
 nerationisque causâ, idque interdum sponte. Ita Socra- quoque, &  
 tis ac Platonis natalem celebrant convivæ apud Plutar- hoc vel  
 chum, ( Lib. VIII. Sympos. quæst. cap. I. ) De seipso Se- spontè,  
 neca, ( Epist. LXV. ): *quidni ego magnorum virorum & ima-*  
*gines habeam, incitamenta animi, & natales celebrem? Quid-*  
*ni illos honoris causâ semper adpellem? M. Catonem utrumque,*  
*& Lælium sapientem, & Socratem cum Platone, & Zenonem,*  
*Cleantemq; in animum meum sine dignatione summâ re-*  
*cipiam? Ego verò illos veneror, & tantis nominibus semper*  
*adsurgo. Silio Italico multum fuit ubique librorum, multum*  
*statuarum, multum imaginum, quas non habebat modò; verum*  
*etiam venerabatur: Virgilii ante omnes, cujus natalem reli-*  
*giosius quàm suum celebrabat, Neapoli maximè, ubi monimen-*  
*tum ejus adire, ut templum, solebat, teste Pliniò, ( Lib. III.*  
*Epist. VII. ) Idem præstitit Martialis in natali Lucani, ( Lib.*  
*VII. Epigr. XXI. v. 1. ): Hæc est illa dies, quæ, magni conscia*  
*partûs, Lucanum populis & tibi, Polla, dedit. ( Epigr. XXII.*  
*v. 1. ): Vatis Apollinei magnò memorabilis ortu Lux redit: A-*  
*onidum turba favete sacris. ( Epigr. XXIII. v. 3. ) Quid tan-*  
*tâ pro luce precer? Tu, Polla, maritum Sapè colas, & se sentiat*  
*ipse coli. Nec non Melior nescio quis Blæso cuidam, ad*  
*quem ejusdem Martialis exstat Epigramma, ( Lib. VIII. n.*  
*XXXVII. v. 1. ) ita habens: Qui præstat pietate pertinaci*  
*Sensuro bona liberalitatis, Captet forsitan, aut vicem reposcat:*  
*At, si quis dare nemini relicto Post manes tumultumq; perse-*  
*verat, Quærit quid nisi parcius dolere? Refert, sis bonus; an*  
*velis videri. Præstas hoc, Melior, sciente famâ, Qui solemni-*  
*bis anxius sepulti Nomen non finis interire Blæsi, Et de muni-*  
*ficâ profusus arcâ Ad natalitium diem colendum Scribarum me-*

*mori pieq; turba Quod donas, facis ipse Blasianum. Hoc longum, tibi vita dum manebit, Hoc & post cineres erit tributum.*

vel de morientium voluntate:

Interdum ex voluntate defuncti, legatis eam in rem redditibus annuis, ceu liquet ex testamento Epicuri Philosophi, cujus verba è Diogene Laërtio (Lib. X. p. 718.) sunt ista: *Ex earum rerum redditibus, quæ à nobis legata sunt, curent, ut natalis dies parentibus & fratribus ac nobis quotannis solenniter agatur.* Quò de pluribus agit Cicero, (Lib. II. de fin.) concludens tandem: *non esse doctorum hominum, velle post mortem epulis celebrari memoriam sui nominis.* Sic antiquitatum indagatoribus sub obtutum ponuntur Divisiones, putà sportulæ, pecuniæ, oleum, crustum, vinum, & id genus alia, quæ testatores collegiis ac sodalitatibus negotiatorum & artificum, decurionibus item, populoq; interdum, diei natalis, quæ viventibus fuerat honorata, parentaliorumq; tempore singulis annis dari testamentò cavebant. Accipite verba Marciani, (l. cum quidam. Digest. de ann. legat. & fid. commiss. ): *Cum quidam decurionibus divisiones dari voluisset die natalis sui, Divi Severus & Antoninus rescripserunt, non esse verisimile, testatorem de uno annuo sensisse; sed de perpetuo legato.* Adparet idem ex duabus antiquis Inscriptionibus, quas legere est apud Amplis. Dilherrum, (Tomò I. Dispp. Academ. p. 377.)

ubi divisiones.

Natalis variis sæpè nobilitatus casibus.

Coronidis locò addimus, natalem variis sæpè casibus insignitum. *Alexander Magnus fertur VIII. Idùs Febr. & in vitam introisse & è vitâ exiisse, dicente Aelianò, (Lib. II. Var. Hist. cap. XXV.) Augusto idem dies accepti quondam Imperii princeps & vitæ supremus exstitit, narrante Tacitò, (Lib. I. Annal. cap. IX.) Attalus, rex Pergami, natali suo periit, teste Plutarchò, (Camillò p. 138. D.) Confidius Proculus, majestatis postulatus, nullo pavore diem natalem celebrans,*

brans, raptus in curiam pariterq; damnatus interfecit<sup>us</sup> est, eodem scribente Tacitô, ( Lib. VI. Annal. cap. XVIII. ) Platoni diligentia sua beneficiô contigisse, quòd natali suò discessit, & annum unum atque octogesimum implevit, sine ullâ deductione, ait Seneca, ( Epist. LIX. ) Antipater Sidonius, Poëta, omnibus annis uno die tantùm natali corripiebatur febrî, & eò consumtus est, satis longâ senectâ, docente cum Plinio ( Nat. Hist. lib. VII. cap. LI. ) Valeriô Maximô, ( Lib. I. cap. VIII. n. 16. ) Poëta Antipater Sidonius, omnibus annis uno tantummodò die, quo genitus erat, febrî implicabatur, cumq; ad ultimam ætatem pervenisset, natali suò certò illo circuitu morbi consumtus est. Petrarca, cum decem septenarios exegisset, eò die, quo in lucem venerat, in orbem redeunte mortuus est, inquit Joh. Bodinus, ( Lib. IV. de Republ. cap. II. ) Timoleon prælia maxima natali die suò fecit omnia, ut audivimus supra ex Nepote, ( cap. V. ) Ad D. Brutum ( Epist. XV. ) ita Cicero: Ego D. Brutô liberatô, cum lætissimus civitati ille dies illuxisset, idemq; casu Bruti natalis esset, decrevi, ut in fastis ad eum diem Bruti nomen adscriberetur. Et iterùm, ( Lib. XI. ad Famil. Epist. XIV. ): Die tuò natali victoriâ nunciatâ in multa secula videbamus Rempubl. liberatam. Cajus Caligula, omisio vel dilatio triumpho, ovans urbem natali suò ingressus est, ut perhibet Svetonius, ( cap. XLIX. ) Heinricho II. Galliarum Regi, idem dies nativitatis & regni fuit, ut adfirmat Tiraquelus, ( Epist. prælimin. super Comment. de nobil. ) quemadmodum etiam Friderico V. Palatino idem natalis vitæ fuit & regni Bohemici, quò tamen mox iterùm excidit, ut acta loquuntur publica. Addatur, si collibitum, Martinus Zeillerus, ( Epist. DXXXIX. p. 823. )

Sed,

Sed, desino talium, ad ea, quæ in proximo sunt, progresurus. Philippum, illum Macedoniæ regem, ferunt, cum, parùm feliciter virium factò periculò, adversus Romanorum potentiam regnum sibi horundem amicitiam tutandum esse intelligeret, capita istius cum Pop. Rom. fœderis quotidiè recitari sibi iussisse, ne quando per incuriam sui oblivisceretur officii. Idem voluisse existimandi sunt majores laudatissimi, qui Leges, discentibus scriptas, non quidem quot diebus aut mensibus; singulis tamen annis publicè prælegi instituerunt, quò subinde, quid suarum sit partium, Juventus Studiosa admoneretur. Age itaque, Ornatissime atque Humanissime Vir, Nicolaë Rübeli, Scholæ Senatoriæ Collega & Succentor, conscende inferiorem hanc cathedram, & ipsas illas Legum Gymnasticarum tabulas, voce, quam concio isthæc universa exaudire possit, clarissimè pronuncia.

### VERBA LEGUM.

**I**Ta habent Leges vestræ, Juvenes Studiosi, quæ exteri quæ indigenæ, qui in isthoc Athenæo Musarum sacris operamini! Leges, non à Jove, cui Minos Cretensis: non ab Apolline, cui Lycurgus Lacedæmonius: non à Saturno, cui Charondas Atheniensis: non ab Egeriâ, cui Numa Romanus suas acceptas retulit; sed ab ipsomet DEO, & hujus in terris vices sustinente Magistratu summo, conditæ. Non reperam heic, quæ hanc in rem de magistratûs auctoritate proferri possent plurima: unicum saltem de legibus, sine quibus non modò supervacaneus; sed fermè quoque rejectaneus magistratus est, in medium attulisse juverit. Leges sunt illa magistratûs galea, quæ boni quique sese tueri possunt, & rectò latere è mediis  
etiam

etiam flammis discedere. Leges sunt gladius ille magistratus, quo caput Medusæ discindit, ac pervicacium contumaciam diffringit. Leges sunt ille uterus, in quo boni foetus conficiuntur & perficiuntur, tandemque, ut Pegasus ille, ad sidera usque alis virtutis subvecti evolant & aspirant. Leges sunt ille fons Hippocrenes, quo studia, alias deserta ac despecta, velut gratisimò liqore sublevantur, & ad seram posteritatem transmittuntur. Leges sunt talaria illa Mercurii, quibus cinctus magistratus, & supra mundanas sordes elevatus, Justitiæ decurrit tramite.

Vos nunc, qui bonæ mentis candidati, ac melioris frugis alumni estis, recognoscite mecum, quam præclarum ac salutare sit, legum & magistratus ius exsequi. Ast, quales vos hac in parte geritis? Utrum ad legum præscriptum? Utinam quidem! Sed vereor, ne non aliter sæpè sit. Quid enim fit hodiè de legibus Gymnasticis? Quotusquisque est, qui cum rege Oratorum, Tullio, seriò statuat, ipsas esse rectam rationem, eamque non tam è naturâ atque è communi intelligentiâ haustam, quam à Numine cœlesti ac mente divinâ delibaram? Si enim id non dicis duntaxat causâ; verùm ex animo crederetur, non ita crebrò enormiterque in ipsas peccaretur leges. In Gymnasio vivitis, in bonis artibus atque literis vivitis. Ecquid jam, quæso, nostrum hoc Athenæum? an orii ambulacrum, desidiæ latibulum, somnolentiæ cubile, ignorantia porticus, aut etiam licentiæ ac petulantia campus, nepotationum taberna, nequitia lustrum, discursationum, clamorationum, tumultuationum, dimicationum arena est? Minimè gentium. Quid ergo? cœlestis veritatis atque pietatis templum est, humanæ solertiæ, prudentiæ, ac sapientiæ adytum est, virtutum officina est, lingvarum, artium,

D

tium,

tium, disciplinarum, ac scientiarum mercatus est, industriæ, diligentia, ac doctrinæ palæstra est, denique virtutum ac elegantiarum sacrarium est. Providè omninò, ac, ferè dixerim, piè Horatius (carm. secul. v. 45.) canit: *DI probos mores docili juventa date!* rem omnem, unde & liberalis juventutis educatio, & hominis perfectio, adeoqve ipsa rei privatæ atqve publicæ salus pendet, duplici genere complexus, morum nimirum probitatis ac docilitatis ingeniorum. Quorum sanè neutrum absqve altero esse potest. Ecquid enim foret aut ipse Aristoteles, aut Hippocrates, aut Papinianus, si morum improbitate pulcherrimas scientias deturpent, aut doctor ipse Cherubicus & Seraphicus, nisi suum illud religiosum vitæ genus literarum elegantia ac splendore illustret? *alterius sic Altera poscit opem res & conjurat amicè,* canit alibi (Lib. de arte Poët. v. 410.) idem Romanæ lyræ fidicen.

Quocirca vos, Juvenes Lectissimi, Dilectissimi, vos, inquam, per communia Musarum sacra, per vestras spes, futuraq; posteritatis felicitatem, obtestor ac moneo, ut leges in oculis, in ore, in pectore habeatis, iisdemq; ad veræ pietatis, virtutis, & eruditionis fastigium duci vos porro patiamini. Vobis inprimis, qui de pretiosâ stirpe descenditis, danda est opera, quò familiarum vestrarum decus non conservetis, solùm; sed etiam cultu eruditionis ac virtutum nitore amplificetis. Ad vos enim bona Reipubl. aliquando curandæ pars pertinet, vos honores amplissimi, vos præfecturæ lautissimæ vocant, manentve, nisi tantæ gloriæ fructum per desidiam ac inertiam vobis ipsimet præciditis. Ast, nec vos reliquos, qui humilioris ortus ac tenuioris estis sortis, desperare jubeo. Quodsi aliquem vestrum ingenio atqve alacritate præ ceteris beavit DEUS, huc cum

cum curâ incumbat, neque frangi spes suas ac ausûs honestissimos imminui sinat, quòd vetustate generis post alios est. *Etiam, quæ nunc antiquissima habentur, aliquando nova fuerunt. Eveniunt Reipublicæ tempora, quibus hominibus potius opus est quàm nominibus: tum verò Reges ac Principes ad nomina primùm eunt, & in his requirunt homines, ibi nisi reperiant, homines profectò querunt etiam sine nominibus, quæ, si velint, ipsi possunt imponere, egregiè ait Nobilissimus Freinshemius, (Orat. VII. in Svetiâ habit. p. 328.)* O si possemus vel autores vel adjuutores esse honestissimæ inter Studiosam nostram Juventutem contentionis: ut nobiles quidem certarent, bonis artibus ac virtutum studiis reliquos antecellere; ceteri verò nobiles illos quamproximè consequi, aut, si possent, æquare conarentur! Facite hoc, Vos nostri, qui potestis. Ita rebus vestris prospicietis rectissimè, atque omnibus iis, qui optima quæque sibi de vobis pollicentur, magnorum bonorum autores eritis. Quin hac ipsâ ratione meliùs consulitur famæ Illustris hujus Athenæi, quod juxta cum aliis Gymnasiis ob paucos quosdam maleferiatos audire pessimè non desinit.

Prodiit nunc-nuper Lepidi Philalethis, Sannionis Utopiensis, Academicus Somnians, quem typis mandavit in Parnaso Simon Rinobasilus, typotheta Phœbæus. Is, postquam scholas triviales falsè nimis ac argutè perstrinxit, Gymnasia quoque mordaci radere verò, ut cum Persio (Sat. I. v. 107.) dicam, ita aggreditur, (p. 18.): *Excipiebat hos, (discipulos classicos,) molestissimum & ultimum genus feroculorum, Φιλῶντων, nasutorum adolescentum.* Hi Gymnastæ cluebant. Dicebantur ab infimis subselliis jam eum in locum ascendisse, qui postremus sit visitandus iis, qui Studentes dici cupiunt. *Gymnasium adpellari, ubi à virgis demùm & plagis tutò*

quiescere liceat, campum esse Elysium, delitium scholasticorum, ubi vita liberioris obtutus capiendus sit, ne ejusdem nimietate opprimantur in Academiis: eos enim, qui diu captivi fuerint, paulatim, non temerè, admovendos lumini, ne cecutiant. Laxissima hominum disciplina: excusatio frenò caballi erant. Par horum cum prioribus vel minor etiam eruditio, nisi quòd jam tum disputare didicerant; ceterum longè major vitiorum licentia. Potare, scortari, turbas dare jam tum bellulè noverant, magistris conniventibus, ut essent, qui in Academiis hæc callerent & patrarent. Ita personatus ille Academicus Somnians seriò nugatur, cum quo, qui Eliasmi cujusdam rei sunt, transigant.

Nòsse tamen debebat larvatus ille, quisquis est, Utopiensis Sannio, non omnia ista fieri magistris conniventibus; sed, quibusdam etiam ingemiscantibus: meliora quidem desiderantibus; ast mutare haud valentibus, præsentis seculi sinisteritatem, quam alienis potiùs ac nostris verbis exprimere tutius. Ita verò super eadem re Magnus ille Dilherrus, qui, quæ Urbs Orbis decus est, illius ipse Urbis grande lumen est, non ita pridem ad Amicum: Non sine magnâ, inquit, voluptate legi consilium de curandâ juventutis scholasticæ pietate & doctrinâ, quod mihi non potest non probari. Sed metuo, ne surdis narremus fabulas. Eò enim improbitatis prolapsæ sunt Societates, ut nec morbos agnoscant, nec remedia querant vel æstiment, eâq; de causâ indigna Medicis. Nimirum, mundi finis adproperat, quem nec considerat nec reformidat desperatissimi hujus seculi CHRISTI LÆVSS. Hæc Theologus Gravisimus. Istorum autem refractorum, quibus audacia pro muro, incivilitas pro lege habetur, quibus jocus & lusus est, cordatorum monita spernere, saniora consilia floccifacere, recta judicia susque deque



deque habere, disciplinae exempla altò cachinnò excipere, interdita legum fulgura ex pelvi existimare: istorum, inquam, insulsa ac effrenis petulantia, si debita in eos cessat animadversio, DEUM ipsum iudicem habebit atque vindicem.

Ast, quando semel praeconis personam indui, & amplissimus hic confessus bonis cum omnibus mihi dimitendus est, ad laudes gratesque DEO solvendas, piasque preces fundendas, Vos voco, Auditores, atque etiam, si patimini, en! verba vobis praeco:

DEUS, DEUS noster! boni omnis autor, ingenuarumque artium atque literarum dator, conservator! Te meritò verisimilis ac justissimis tollimus laudibus, quòd Illustre hoc Casimiro-Gvilielmianum nostrum sartum atque tectum huc usque conservas, aliisque super alia beneficiis ornas. Tibi intimis supplicamus animis, ut divinam gratiam praepotentique dexteram fulcias porro ac firmes nobile isthoc Franconiae Muséum, quodque haetenus, pro tua immensa misericordia & bonitate, in nobis operatus es, id confirmes ac perficias etiam in posterum. Mentis nostras gratioso illustra lumine, ut concipiant optima, ab inutilibus secernant utilia, à supervacuis necessaria, à falsis vera. Omnes lucubrationes, omnes meditationes nostrae nos ducant ad pietatem, cui, ut dominae, comites eant bonae artes atque literae, tanquam pedisequae. Fac,

semper nos utilitas sollicitet publica, assidueque cogitemus, fore, ut aliquando Te cognitore dispiciatur, non, quid legerimus; sed, quid egerimus. Tua in nobis dona ulterius corona, ut cives Reipubl. educemus probos æquè ac doctos. Da, malis fibula imponatur; boni verò in dextro pietatis ac doctrinæ calle, quem feliciter ingressi sunt, retineantur, atque in virtutis studio ad arcem felicitatis acriter ac alacriter pergant: adeoque ex illustri nostro Athenæo magnâ produci possint copiâ, non quidem Biberii, non Capiones, non Rabinii, non vanitatum tribuni alii; sed egregia instrumenta boni publici, iis idonea muneribus, quibus eadem destinasti. Mi DEUS, quæ facta sunt, tege; quæ futura, rege! Incolumes egregio publico serva utriusque Reipubl. Præstites atque Adstites, ac in iis Amplissimorum Dnn. Scholarcharum Senatum Eminentissimum. Salus Juventutis unicuique suprema lex esto! Hanc pro se quisque, quantum niti potest, consiliò, re, votis juvet, promoveat. Tuere Ecclesiam orthodoxam, sanguine fundatam, & propagatam hætenus sanguine: tuere Germaniam, communem nostram patriam: tuere Serenissimum Patriæ Patrem, juxtâ cum Coniuge Serenissimâ, atque Utriusque Sexûs Sobole Illustrissimâ, quin universâ Domû Saxonica:

câ:

câ: fac, ut ex inclutâ hac progenie, ad seram usque posteritatem, si quæ, laborante in agone suo rerum universitate, speranda, non deficient Heroës pii, excelsi, magnanimi, sub quorum umbone incrementum his in terris capiat vera ac sincera Religio, in republicâ & communi hominum societate vigeat floreatque Pax plusquam aurea, vivat ac regnet sancta Justitia. Frenum injice, Rex seculorum Opt. Max. insanum magnæ Turcorum tyrannidi, atque eorundem mactationes & vastationes coërce, compesce, opprime: Antichristi Romani, Tarpeji istius Jovis, &, qui huic à turbis ac seditionibus sunt, virulentissimorum Lojolitarum, sacerrimorum capitum, strophas, technas, minas, nil nisi ignem, funem, sanguinem spirantes, averrunca, profliga, pessunda. Largire ulterius aëris salubritatem, opportunitatem tempestatum, annonæ ubertatem, jugem pacis tranquillitatem, & ceterorum corporalium, commodorum adfluentem copiam. Vires denique necessarias suffice, quò adversus omnes Fortunæ novercantis impetûs Tibi, DEUS noster, uni soli firmissimè inhærentes, ipsi quoque victâ contemptâque mortalis sortis inconstantia, adversis superatis omnibus, Te unicâ ac sincerô bonô, à quo omnis & molestia & turpitude abest longissimè, æternùm fruamur. Eveniant, eveniant, quæ

DIXI!

M. TULLIUS CICERO,  
*Lib. II. de Divin.*


Qvod munus Reipubl. adferre majus meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus Juventutem, his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda atque coercenda sit?



COBURGI

In Officinâ Ducali exscripsit Johannes Conradus  
Monachus.






Ca. 599. 8.

(x 2609399)

VD17

NC






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



4.6  
an 36

*bus 6*  
IS CLAUDERI,  
AC ELOQV. P. P.  
DE  
VETERUM  
ALITIO  
TIO TERTIA,  
RI ATHENAEO  
RGENSI,  
ILLUD  
ALEM  
A QVINQVAGESIMUM  
R CELEBRARET,  
CITATA  
M. QVINCTILIS  
clb lb c LXI.

